

Q. D. B. V.

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA
SISTENS

OBSERVATIONEM 14

DE

HYPERCATHARSI

EX RESINA JALAPPÆ

FELICITER CURATA

QUAM

DIVINO NUMINE ASSISTENTE

EX CONSENSU

GRAVISSIMI MEDICORUM ORDINIS

PRO LICENTIA

SUMMOS IN ARTE MEDICA HONORES

ATQUE PRIVILEGIA DOCTORALIA

RITE CONSEQUENDI

DIE XXV. SEPTEMBRIS A. MDCCLXXI.

SOLEMNITER DEFENDET

JOH. BERNHARDUS ULRICH

ARGENTINENSIS.

H. L. Q. C.

ARGENTORATI

ex Officina JOH. HENR. HEITZII, Univerfit. Typogr.



ILLUSTRI
LIBERALITATIS
SCHENCKBECHERIANÆ
DNN. DISPENSATORUM
COLLEGIO
VIRIS

NOBILISSIMIS, AMPLISSIMIS, PRUDENTISSIMO,
CONSULTISSIMIS, EXPERIENTISSIMO,
EXCELLENTISSIMIS

DE REPUBLICA ET LITERARIA
ÆTERNUM MERITIS

DNN. MÆCENATIBUS
ATQUE

PATRONIS


AD CINERES USQUE OBSERVANDIS, COLENDIS, VENERANDIS,
UT GRATI ANIMI MONUMENTUM EXTARET

PIA INTER VOTA
HOC SPECIMEN

SACRUM ESSE VOLUIT

AUCTOR.





OBSERVATIO.



Septem jam præterlapſi ſunt anni, cum hic Argentorati Vir quidam juvenis, viginti & aliquot annorum, honeſto loco natus, tenerioris texturæ atque temperamenti phlegmatico-ſanguinei ad pellenda quædam incommoda Medicinam ^{noſtro} purgantem aſſumere in animum induxit. Igitur pridie ejus, quem conſtituerat, diei ſub veſperam ancillam in officinam pharmaceuticam miſit, ut uſitatum ſibi laxans minorativum, cujus præſcriptionem Pharmacopolis cognitam eſſe ſciebat, in craſtinum diem expeteret. Pharmacopola ſolus in officina præſens, ſine mora ad conficiendam Medicinam ſe comparat: forte autem accidit, ut eodem tempore ejusdem ſocius in præparando Elixir citri purgante occupatus eſſet, quod quidem in publicum diſpenſare haud licet amplius, modo in quarundam anicularum gratiam tunc

A

conficiebatur. Hic nil quicquam erroris aut periculi suspicans, suum præparatum balneo arenæ ad digerendum committit: ille vero decoctum suum purgans in cella recondit. Clauditur interea Pharmacopolium. Insequentis diei hora quinta matutina, adest jam ancilla, Medicinam ex promisso confectam sibi tradi postulans. Solus in officina tum versabatur famulus, cui, posteaquam diu in ista circumtulserat oculos, tandem venit in mentem illius vitri arenæ balneo commissi: continebat autem illud Spiritus vini rectificatissimi uncias quatuor, quarum quælibet octuaginta grana resinæ Jappæ soluta tenebat. Hoc ille haud cunctanter deponit, & ancillæ porrigit, quæ domum reversa nil habuit prius, quam ut potionem calefactam heropropinaret. Brevissimo interjecto tempore, Pharmacopola cum socio officinam intrant, prior famulum Decoctum laxans e cella depromere jubet, quippe curaturus, ut calidum ancillæ tradatur; simul posterior quærebat suum Elixirium; ibi vero servus demum pessimi, quem patraverat, erroris conscius, fatetur, quid actum sit. Heu! quantas ista famuli improvida actio peperit turbas! Currit trepide Pharmacopola versus domum miseri, tintinnabulo fortissime tracto, uxorem e fenestra prospicientem altissima voce obtestatur, putatam Medicinam ne propinet marito, fore enim, ut mortem ipsi propinaret certissimam. Verum frustra hæc omnia. Toxicum erat deglutitum. Pharmacopola domum intrans, verbo summum periculum expur-

gante resinoso dosin ordinariam vigecuplo excedente indicat, & quantopere illud vel levissima mora augetur, innuens, Medicum quantocyus arcessi suadet. Dicto audientes ægrotus cum uxore, gravissimo terrore percussi, extemplo tres convocari jubent Medicos, hoc consilio, ut, si forte unus aut alter impediretur, tertius sine ulla mora accederet. Inter hos & ego accurri, deprehendique ægrotum dolorum adhuc penitus expertem; nondum enim horæ quadrans post assumptionem purgantis effluerat; ast anguem sub herba latentem intelligens, præparavi ipsi simul cum binis Viris Experientissimis, qui meam operam suis consiliis optime suffulserunt, ejusmodi arma, quæ ei trucidando maxime idonea judicabam, antequam sævitiem suam in corpus ægroti exercere posset. Desumpta autem fuere remedia tota quanta ex emollientium atque relaxantium classe, siquidem lac, syrupus althææ, oleum amygdalarum dulcium, illud ad mensuras, hæc ad libras ægroti intra aliquot horarum spatium propinata, clysmata simul emollientia, addito lini oleo copiosissime injecta fuere, eventum, spem inter metumque suspensi, expectantes. Verum quanta erat nostra omnium admiratio & exultatio, cum a pessima, hypercatharsin alias comitante, jure formidata syndrome ægrotum nostrum intaminatum videremus: effectum quippe fuit, ut ob nauseam, quam oleosa faucibus atque ventriculo induxerant, copiosi vomitus surrexerint, qui evidenter resinam prodidere, per alvum autem secessit resina

itidem blandissime, modo ægrotus levissima tormi-
na fenserat; evacuabatur vero alvus primo die vige-
sies quinquies, insequentem noctem penitus tran-
quille transegerat ægrotus, modo aliquoties alvus
fuerat mota, ideo crastino die statuere Medici, ut
Manna in lacte soluta ægro propinaretur, a qua se-
decies movebatur absque molestiæ sensu, nox rur-
sus satis quietata fuit; perendino die Manna iterum
porrecta, sexies modo alvum duxerat. Quum æ-
grotus sese in integrum restitutum sentiret, petiit
a nobis, ut ulteriori remediorum usu superfedere
sibi liceret, cui petito quoque lubenter annuimus,
nilque nisi diætam restaurantem ipsi præscripsimus.
Sic optimus Vir, quem Orco traditum iri certissime
credebamus, præter omnem expectationem evalit
atque cum sanitate in gratiam brevi rediit, qua ho-
die adhuc, utinam diutissime! optime fruitur.

JOH. FRID. EHRMANN, Med. Dr. &
Prof Publ. Extraordinarius.

INTROITUS.

Machaoniæ artis incrementa promovere, ab omni
ævo industriorum virorum indefessus fuit labor;
varia vero ratione eundem perficere studuere, dum vel
novis inventis Medicinam egregie ditavere, vel dum talia,
quæ, licet cognita, minus firmo tamen talo stare ipsis
videbantur, stabilivere. Missis reliquis, quæ nostram com-
ponunt artem, vel sola ista pars, quæ Therapiam comple-

citur, ex suo experientiae thesauro Indies Medicis largam
 praebet occasionem experiendi, quibus laudata ars majora
 capere posset incrementa. Verum enim vero, non modo hi,
 qui veritatum novi inventores, aut inventarum confirmato-
 res ultteriores sunt, soli Medicinae splendorem conciliant,
 sed & isti huc referri omnino merentur, qui illam à sco-
 riis, ab omni aëvo nobili arti inique adspersis, iterum re-
 purgare student. Medicaminum farrago hic rectissime in
 censum venit; nonne id cuilibet saniori Medico nostri
 aevi nauseam movere debet, quando Veteres inter bufones
 exsiccatos, cranii humani usneas, hippopotami dentes, alcis
 ungulas, infame arsenicum, vomicam nucem aliasque pessi-
 me virosas plantas, & quae infana sub infelici sydere natorum
 pseudodoctorum cerebrum unquam exclusit, medios ince-
 dere animadvertit. Hodiernis igitur temporibus remedio-
 rum rationalem selectum reservatum fuisse docent clarissi-
 morum virorum testimonia, testatum faciunt Dispensatoria.
 Interim negare non possum, ista quae selecta hodiernum vo-
 cantur, cuncta vere selecta mihi haud videri, variisque officinas
 quasdam pharmaceuticas forte carere posse, quae adhuc-
 dum in suo gremio condunt, idque iudicium praecipue
 circa resinas purgantes esto, quarum suspectum atque fal-
 lacem usum in medicina esse ex ore celeberrimorum Pra-
 cticorum sapissime percepi, & fatebitur quilibet mecum,
 qui lernam malorum ex improvida earundem tractatione
 metuendam vel ex solo citato Casu expendit, omnes de-
 nique ii prudenti consilio in meas partes abibunt, quo-
 rum de corio humano minime ludere, sed Praxin Medi-
 cam tuto exercere interest.



§. I.

Resinas definiri per corpora solida, quæ igne lique-
scunt & ardent, ac in aqua nullo modo solvi possunt, ne-
mo Medicorum ignorat. Notissimum æque est, constare
resinas ex principio oleoso, acido & terreo, docente
præter alios FRID. HOFFMANNO *Observ. Phys. Chym. XV.*
P. 55. nihilominus tamen istæ, annotante EXCELL. SPIEL-
MANNO, Præceptore meo nunquam satis venerando, in
Spicilegio circa saponum historiam, inserto *Nov. Act. Ephem.*
N. C. Tom. III. Obs. 89. saporum, ex similibus principiis
constatorum, effectus edere nunquam valent, cum largius il-
lud, quo scatent, acidum de oleo multum aquæ expulisse vi-
deatur, ac tantam ei induxisse visciditatem, seu potius te-
nacitatem, ut acidum tenaci oleo mersum, aquam appetere
& subire nequeat. Experientia denique affirmat, quod
resinosa per alvum purgantia, præ ceteris evidentiori acri-
monia gaudeant. Quilibet nunc absque labore intelliget,
effectum atque vim purgantem variarum resinarum pro
majori minorive, qua de ista acrimonia participant, copia,
omnino quidem diversam esse, attamen mitiorem, alio-
rum eccoproticorum ad instar, effectum, à purgante, evi-
denti ejusmodi acrimonia instructo, expectari nunquam
posse. Selegi ego inter ceteras resinas purgantes Jalappæ
resinam, cujus proprietates atque virtutes examinare ad
ductum præmissæ observationis constitui.

§. II.

Medicamentorum vix non omnium illa solet esse fors,
ut ab his maximopere laudentur, ab illis contra funditus
repudientur. Meum quum non sit Jalappæ historiam
scribere atque fata, sufficiat utriusque sententiæ quosdam
autores allegasse; sic scimus ex ROLFINGIO, quod tanti

fecerit Jalappam, ut pronunciet, quod, *sicuti juxta Paracelsum quartam Pharmacopolii partem absolvat vitriolum, Jalappæ tres reliquæ partes attribuendæ veniant.* Maximum quoque, qui reliquorum, quibus allegandis ob brevitatæ studium supersedeo, loco. inservire poterit, Jalappæ encomium dixit CHRIST. FRANC. PAULINI in libro singulari. Francof. ad Moen. 1700. 8. Dissentiunt vero in hac re iterum alii Celeberrimi Viri, noxiam potius hujus radicis proprietatem incusantes; ita WEPFERUS *hist. Cicut. aquat. p. 220. sq.* radicem æque ac Magisterium Jalappinum inflammatoriam vim possidere, erudite ac curiosis experimentis demonstravit. FRID. HOFFMANNUS in *Diss. de Purgantibus fortioribus ex Praxi Medica ejicientis* Hal. 1703. Jalappæ resinam inter drasticâ cathartica refert, inquit: *Ex Gialapa parata, tumetsi vulgo credantur secunda & tuto purgantia, nihilominus tamen & hæc ipsa caustico virulento, naturæ humanæ hostili principio imbuta sunt, attestantibus id ipsum observationibus.* Similiter ratione SIMON PAULI *Quadripartit. Botanic. p. 473.* Jalappam Scammoneo affinem pronunciat. GEOFFROY *Mat. Med. Tom. II. p. 83.* dicit: *Nihil in Jalappa deprehenditur, quod ipsi cum ceteris remediis purgantibus acerbis & validioribus non sit commune & p. 86. Resina Jalappæ semper cum molestia & torminibus evacuat.* JOH. HENR. HERRMANNUS quoque in *Diss. de hypercatharsi*, Basil. 1715. resinam Jalappæ ad medicamenta drasticâ refert. ETTMÜLLER denique *Opp. Tom. II. p. 15.* vim solutivam Jalappæ deprædari aliquid de vita & facultatibus nostris memorat.

§. III.

Vim purgatricem Jalappæ in ejus resina potissimum consistere confecta res est, cf. SCHROEDER *Thesaur pharmacolog. p. 780.* ETTMÜLLER *Opp. Tom. II. p. 15.* inquit:

Vis operandi Jalappæ consistit in ejus particulis resinosis, id est, oleosis, ab acido fortiter concentratis, adeoque in particulis acido salis, oleosis. Imo solum in refina virtutem hæere statuit WEDELIUS Anænit. Mat. Med. p. 273. quando ait: Tolle de Scammoneo, Gialappa resinam, iners & inefficax erit reliquum remedium, non purgans. Concurrunt autem in resinis purgantibus duæ qualitates, (§.I.) tenacitas scilicet atque acrimonia. Primam quod attinet, cathartica virtus inde videtur subintelligi, quod refina tenaci sua substantia parietibus ac plicis ventriculi & intestinorum sese quasi agglutinet, ibique hærens horum plicis ac villis possit fieri molesta, quemadmodum scribit ETTMÜLLER, l. c. Operatur Jalappa, dum particulis suis viscidis ventriculo & intestinis adherendo provocat eorum spasmos & sic contentorum excretionem. Interim haud verosimile mihi videtur, ista incommoda ex sola resinæ tenacitate surgere posse, alias & reliquæ resinæ, eundem exferent effectum, quod secus fieri quotidie videmus, consentiente BUCHNERO & Coi Diff. de damnis ex abusu resinæ Jalappæ. Hal. 1750. Liqueat exinde, vim Jalappæ purgantem in resinæ acrimonia esse quærendam omnino.

§. IV.

Acrimonia radices Jalappæ exinde jam intelligi potest, quod pulverisata, naribus excepta, sternutationem satis validam excitare valet, testante NENTER Commentar. in Ludovici Pharmaciam p. 2. cuti admota instar vesicatorii agit, observante BOERHAAVE Tractat. de viribus Medicamentor. Par. p. 280. eodem teste masticata intolerabilem dolorem & tumorem excitat, salivæque secretionem promovet, fauces exulcerat, linguam, fauces & œsophagum quasi comburit p. 229. Observarunt autem Auctores, resinam

nam præ radice, majori instructam esse acrimonia. Num itaque Jalappæ resina remedium purgans adeo mite, quemadmodum vulgo creditur? nequaquam. Robur insuper nostræ assertioni addunt, quæ Practici circa modum illius operandi observavere. Etenim præter citatos Auctores, qui omnes in eo conveniunt, quod resina Jalappæ intestina irritando alvum moveat, copiosiores feri affluxum causetur, ipsamque massam humorum fubeat, ita scripsit FRID. HOFFMANNUS in *clavi SCHROEDER*. p. 633. *Jalappa omnis generis humores, & maximam partem seriosos per alvum subducit fortiter.* Et BUCHNER Diss. cit. sequentia habet: *Resina Jalappæ vi sui principii salini acris maxime in admodum sensiles tunicas nerveo-membranaceas ventriculi ac intestinorum agit, quas ad citatiorem motum vermicularem stimulo suo incitat, & non modo impuritates ibidem hærentes per inferiora expurgat, sed & in connexis & adjacentibus visceribus consensus lege spasmos similiter exci-
tat. Imo & ad distitas partes acre istud in massam humorum delatum defertur, ubi humores resolvit & ad excretionem aptos reddit, qui dein ad irritatum locum, ventriculorum scilicet & intestina delati per alvum tandem eliminantur.* Adde his WILLISIUM *Pharmacop. ration. Sect. III. C. I.* ita loquentem: *Cathartica, uti Gialopium &c. particulis acrioribus & non raro quasi septicis constant, quæ ab intestinis suscepta & sanguini transmissa massam ejus insigniter fundunt, & in serositatem valde precipitant. Imo interdum quasi venenant & crasin corrumpunt.*

S. V.

Penfitatis rite Celeberrimorum Virorum dictis, (§. 2. 3. 4.) non possum non confiteri, vim resinæ Jalappæ purgantem ab ista drastica haud multo differere. Significamus quippe per potentia & drastica ca-

thartica ea, quæ in parva dosi celeriter & fortiter humores educunt cum ventris torminibus viriumque lapsu. Rejiciuntur vero merito drastica, HOFFMANNO teste Diff. cit. ob triplicem rationem; I. quia virulentum in se custodiunt principium; II. quia motus violentos in corpore efficiunt, unde circuli æquabilitas & liber humorum transitus vehementer turbantur. III. quia defraudant sanguinem seroso & lymphatico succo, cujus tamen præsentia non modo ad statum sanum conservandum, sed & ad morbos curandos summe est utilis. Quandoquidem nunc conferantur pathemata gravissima, quæ drasticatorum asumptio, corpori humano vivo intulisse apud Autores legitur, quorum imo pessime nociva indoles in dissectis, exinde interentis, cadaveribus, quippe quorum ventriculus & intestina maxime inflammata & sphacelosa deprehenduntur, teste HOFFMANNO *M. R. S.* Tom. II. *Pathol. general.* P. II. C. V. §. 15. ulro adparet, cum illis, quæ à Jalappæ resina exorta fuisse itidem apud Auctores leguntur, nullus dubito, quin religiosi Medici assensum omnino mihi præbeant, quando à Jalappæ usu, ceu infecuro atque suspecto remedio in praxi Medica abstinendum esse duco.

§. VI.

Ex infortuniis aliorum sapere prudentis viri est. Quælia vero à Jalappa surrexisse multifariam in Medicorum Scriptis reperiantur, imperfecta modo, satis tamen reformidanda imagine sistam. Tormina miseranda, & quidem sine ulla excretionem sæcum purgatoria, tertio tandem die sola per alvum excreta resina in globulum compacta & in-crassata, ex obs. CLAUDERI in Eph. N. C. Dec. II. A. VII. obs. 162. Colica convulsiva & Paresis ab eadem resina, teste FRID. HOFFMANNO *Med. Syst.* T. II. p. 245. Abrasio mucis intestinalis. Ventriculi & intestinorum facillima inflammatio & gangræna, monente ALBERTI *Jurisprud.*

*Med T. IV. p. 795. & WEPFER I. c. experimento in canibus instituto. Magnæ sanguinis puri quantitatis perfectissimum evacuationes, mira docente observatione REISELII alicujus defuncti, sumta prius purgante Jalappæ radice, ubi in corpore nec duæ parvæ ventosæ sanguinis, nec grumi alicubi inventi sunt. Paralysis cum aponia & stupore mentis, à resinæ Jalappæ granis XII. ex HOFFMANNI Diff. cit. §. XV. Mors ipsa, ex obs. DOLÆI Encyclop. Chir. L. V. C. IX. §. 19. quippe à scrupulo uno pulveris Jalappæ cum cremoris tartari scrupulo dimidio eodem mane, quo agrotus assumserat, mors subsecuta est; & AMMANN. Med. Crit. p. 249. Mors ab assumta Gialapæ drachma. Frequentissima vero omnium gravissimorum pathematum est sane Hypercatharsis cum pessima sua symptomatum syndrome, ex quorum sola recensione horrent capilli. Debilitas summa, dolor capitis cum aurium tinnitu, defectiones animi, jactationes cum maxima inquietudine & præcordiorum anxietate, vigiliæ, dolores atroces & fixi in imo ventre, quasi in partes abdomen scinderetur, vel sensus dolorificus, quasi de palo infixio ejusdem, febricula, sitis, ciborum fastidium, cardialgia ex morfu medicaminis orificium ventriculi vellicantis, dolores femorum & crurum, cruciatus in univervis totius corporis articulis, imo ad ipsas unguium radices se extendentes, observ. BINNINGER Cent. II. Obs. 76. p. 218. Paralysis, teste HELWIG Obs. Med. L. III. p. 183. Abdominis intumescencia summa, in Eph. N. C. Dec. I. A. IX. & X. obs. 75. & hydrops Ascites. Dec. III. A. IV. obs. XI. faucium inflammatio, vomitus immanes, deliria, convulsiones lethiferæ teste HIPPOCRATE Aph. V, 4. & VII, 25. & Eph. N. C. Dec. II. A. VII. obs. 162. & obs. WEDEL & WALCH Diff. de hypercatharsi Jenæ 1714. Epilepsia, tabes, febres putridæ, referente JOEPPER. *Manuduct. ad vitam longam* C. X. p. 330. dum ait: *Se nosse, tales dejectiones.**

copia excedentes, non raro tabem, sanguinis suo sero destituti corruptiones, febres putridas ac mortem induxisse. Cf. quoque BORELLUS *Hist. & Obs. Med. Phys.* Cent. II. obs. 64. Singultus, refrigerium extremorum, sudores frigidi, propinqua mortis prænuncia signa.

§. VII.

Hypercatharsis vero à resinâ Jalappæ granis XIV. & XV. excitata exempla prostant in *Eph. N. C.* Dec. II. A. VII. obs. 112. JOH. DE MURALTO; item à drachma pulveris Jalappæ, *ibid.* Cent. VIII. obs. 34. JOH. MATTH. MULLERI. Dejectiones creberrimæ cum siti leguntur apud HARDERUM *Observ. Anatom. pract.* 69. p. 269. *Hypercatharsi obnoxios esse, qui catharticum nimis vehemens assumerunt, quemadmodum sunt purgantia admodum acria & resinosa, ut Scammonium & Jalappæ resina, dicit ZUINGER Theatr. Prax. Med.* p. 554. Pulveris radicis Jalappæ drachmam unam bis innocue quis sumserat, tertia vero vice assumta, hypercatharsis cum virium imbecillitate secuta est, vid. GOCKELII *Consil. Med.* Cent. I. 12. BORRI-CHIUS apud BONETUM *Med. Septentr.* P. II. L. VI. append. obs. VIII. mentionem facit cujusdam, cui radicis Jalappæ grana XV. paucillo cremoris tartari & Elæosaccharo cinamomi mixta quinquagesies alvum duxere. PECHLINUS obs. 65. docet, à duobus granis resinâ Jalappæ drachmæ dimidiæ cremoris tartari exceptis sedes provocatos esse supra viginti, semel etiam à tribus granis hypercatharsin motam fuisse. SIMON PAULLI l. c. recordatur, accidisse sæpius in aliquot individuis, ut resinâ sex vel septem grana hypercatharsin conciverint. ANTONIUS LOIGK in epistola ad Werloschnigium refert, quod insignis quidam Practicus fœminæ biliosæ, ætatis consistentis, & bibulæ, resinâ Jalappæ, vitello ovi solutæ, grana XI. cui sensim adfusa fuit uncia una aquæ Melissæ cum syrupi

Rubi Idæi drachmis duabus exhibuerit, unde illa, post frigidæ hujus potiunculæ adsumtionem, ultra centies per alvum, diluviî instar, purgata fuit, succedente postmodum, servato licet diætæ regimine, vehementi bilioso vomitu, cum passione hysterica, horrendis totiùs corporis convulsionibus vocisque ejulatione & deliriis maniacis stipato, quæ singula symptomata, licet ad aliquod temporis intervallum fuerint sopita, postmodum tamen multo truculentiora redierunt. Claudant agmen ADOLPHI & KRIEDEL in Diff. de tunica intestinorum villosa, plurimorum morborum foco atque immediato curationis subjecto. Lips. 1721. §. 21. hisce verbis: *Quia & multum à purgantibus violentioribus, drasticis, resina Jalappæ, Scammonæi, helleboro albo & hujus farine aliis, ut & aliis corrodentibus patiuntur fibra tunicarum carnosæ, nervæ, glandulosæ ac ipsi intestinales villi, quoniam illi crebris spasms & repetitis succussionibus nimis & convulsionibus graviter invadunt, & irreparabile damnum, atoniam, pertinacissimam alvi obstructionem, tubercula, excrescentias, erosiones, indurationes, inflammationes, exulcerationes, corruptiones, gangranam, sphacelum cum ipsa morte, qua tragædia tandem finem imponit, inferunt, cautus cuius & circumspectus esse debet eorum usus.*

§. VIII.

Quum igitur omnia hætenus recensita mala exinde proveniant, quod resina acris Jalappæ parti cuidam villosæ intestinorum tunicæ, mucò naturali non satis obductæ, adhærescat, unde fibræ eadem atrociter vellicantur, hinc Medici, quo vim resinæ irritantem mitigarent, varia ratione incedere solent. Sunt igitur, qui optime id fieri posse autumant, quando Jalappam in substantia exhiberi jubent. Hanc sententiam inter alios fovet GEOFFROY l. c. p. 86. inquit: *Jalappa nulla indiget emendatione, suf-*

ficienti enim terræ quantitate extenduntur saline & sulphureæ partes, ita ut nulla melior sit hujusce medicamenti præparatio, quam ipsamet ejus substantia. & NICOLAY *Mat. Med.* p. 301. eadem dosi radicem propinari jubet, qua resina datur, ne tanta, quanta resina, mala, neque ea tam facile, quam resina, producere possit. Rationem hujus methodi reddit CARTHEUSER *Mat. Med.* T. I. p. 529. quando sic scribit: *Neque sola pars resinosa, neque sola gummosa, prout decet, ventrem purgat, sed utraque debite combinata. Mera gummosa enim seorsim exhibita, parum movet alvum, magisque, imo unice propemodum, urinam pellet, & mera resinosa fortem quidem catharsin provocat, ast multis ac magnis torminibus stipatam, hinc certo etiam certius est, radicem ipsam in pulvere oblatam, ob naturale & egregium substantiæ resinosæ & gummosæ consortium, optimam exercere operationem.* Qui huic opinioni obstat, tam incertam resinæ in Jalappa integræ dosim, quam observationes Auctorum §. VII. ex parte allegatorum de sinistris ex eadem ipsa, quemadmodum ex resina ortis effectibus opponunt. Hac ultima præprimis ratione motus LIEUTAUD *Synops. univers. Prax. Med.* P. II. L. I. p. 651. seq. sequentia monet: *Jalappa in substantia datur à granis XII. ad Scrup. I. & ultra. Sed satius est illum pulverem partitis vicibus exhibere, nempe à granis VIII. ad XII. singulis horis, superbibendo cyathum aquæ pulli, donec sedes moveantur, sic sufficienti vehiculi copia diluitur, & optatissimum effectum, citra molestiam, exserere valet: vota ut plurimum explent duæ vel tres doses, & raro ad septimam vel octavam protrahitur hæc administratio. Cautè tamen exhibendum est Jalapium, haud innoxium, ubi sub constitutione sicca & calida fibræ facile convellantur; singulis dosibus postrema methodo exhibendis addere licet quartam vel sextam grani opii partem pro iis, quorum interanea facile afficiuntur. Quibus itaque resina præ pulvere magis arridet, hi simul perpen-*

dunt, resinarum instar quarumcunque hanc nostram in aquosis humoribus haud solubilem, quo secure corpori humano ingeri queat, saponibus prius esse solvendam. Sic resinas bile mediante optime aquam subire ex GAUBIO citant *Nov. Act. Eph. N. C.* Tom. III. obs. 89. p. 459. Mediante sale ex magnesia vitriariorum resinas decenti temporis spatio cum illo tritas perfecte ita recludi, ut solubiles in omni aquoso evadant, docet JACOBI *ibid.* T. II. obs. 67. Acrimoniam resinæ multum mitigari atque in verum saponem converti posse ope lixivii acrioris, docet KRUSE in *Diss. de purgantium resinarum aut gummatum conversione in saponem, horumque usu medico.* Hal. 1767. Dissolvunt porro Medici resinam Jalappæ in oleo amygdalarum dulcium aut ovi vitello; vel ope sacchari, cremoris tartari jubente id, præprimis pro infantibus LIEUTAUD *Synops. Prax. Med.* P. II. L. I. p. 651. sq. (quo pertinet etiam Specificum Jalappinum correctum Dispens. Argent. ab A. 1757.) amygdalarum, nucleorum pineorum, assensum præbente HOFFMANNO *Consultat. & Respons. Medicinal.* T. II. p. 143. qui resinam Jalappæ sic tritam in intestinis haud coagulari posse affirmat. cf. *Eph. N. C.* Dec. II. A. VII. obs. 112. aut ope alicujus pulpæ vel mucilaginis ejus tenacitatem dividere student; (quo referendum est Diacydonium Jalappinum, apud nos satis adhuc usitatum.) Salia quoque varii generis atque terras resinis miscent, quo non solum acidum in primis viis hærens cicuratur, sed & resinosa particulae latius diffusæ indemnes ingeri valeant; quæ methodus arridet BUCHNERO & COI *Diss. cit.* §. XIX. & NICOLAY *System. Mat. Med.* p. 5. Denique resinam Jalappæ in spiritu vini dissolvi jubent, id quod tam ex præmissa observatione patet, quam ex veteri Argentoratensium Dispensatorio ab Anno 1725. ubi istiusmodi præparationes sub nomine Elixirii citri purgantis atque Tincturæ Jalappæ in usu quondam fuere.

Quandoquidem vero modo allegatæ Jalappam exhibendi methodi permultis olim placere, imo haud paucis recentiorum Medicorum adhucdum perplaceant, diffiteri tamen haud licet, easdem aliis clarissimis haud minus Viris penitus displicere, imo ceu noxias, ad minimum infecuras in totum ab istis respui. Quod enim primo triturationem illam cum nucleis & Emulsionem attinet, istæ certe primo intuitu jucundum & fat securum videntur medicamentum; ast nonne omnia quævis metuenda, quando acidum in primis viis hærens, emulsionum destructor, resinosas partes, antea ab oleosis ligatas sui juris facit. Quare & SCHULZE Diss. de purgatione copiosa & nimia §. 26. scite scribit: *Non satis fido isti cum pineis aut amygdalis contusioni, multoque minus Emulsionibus hinc paratis. Vidi periculosam Hypercatharsin à granis septem resinæ Jalappæ, in Emulsionem redactis, in homine cætera satis robusto. Potest sane intelligi, quam facile ab acido in ventriculo & intestinis obvio possit fieri, ut resinosa partes à mixtione cum cæteris discedant, & pertinaciter hæreant.* Idem iudicium esto, quando resina cum sale alcalino teritur, quam facile enim fieri poterit, ut, alcali in ventriculo soluto, resina non amplius in statu solubili maneat, id quod CLAR. BUCHNER Diss. cit. §. XVIII. iteratis experimentis asserit. Separationem resinæ nudo oculo contingere modo videmus, si purganti pulveri resinoso parcior quantitas aliorum pulverum fuerit addita, & liquor affusus vel vehiculum nimis fervidum, tunc enim sæpe resina in cochleari adhuc existens ab illis separatur & coagulatur. Quum igitur teste WEDELIO in *Amenitatibus Mat. Med.* p. 272. resina ab humiditate corporis minime resolvi, nec hinc æqualiter per intestinorum tractum distribui queat, accidit quoque interdum, ut forte fortuna profus præterlabatur, atque

atque sic in majori quoque dosi parum efficiat. Patet inde evidenter remedii infecuritas, quod eadem dosi datum in uno hypercatharsin producere valens, alterum plane non commovet.

§. X.

Resina Jalappæ, spiritu vini soluta, omnium maxime virtutes catharticas exferere valet; observavit quippe BOERHAAVE *Chem. T. II. Proc. VI. p. 237.* radicem Jalappæ ad minimum quadruplo plus in Essentiæ forma, quam in mero pulvere, sextuplo plus, quam in resinæ seu magisterii consistentia efficere. Docet præterea Chemia, resinam in spiritu vini solutam per affusam aquam è sua solutione pulveris sub forma secedere, quodsi itaque solutio talis spirituosa primis viis ingeratur, ubi humores aquosæ indolis offendit, à quibus pulvis præcipitatur, quantas exinde turbas surgere necesse est? Recte itaque PECHLINUS *obs. 65.* dicit: *Resinæ solutio in spiritu vini provide & cum grano salis propinari debet, si enim in temperamentum incidas justo calidius, à nimia purgatione metus est, sin frigidius, aut nihil agit, aut promissas sedes torminibus mutat, tandem quoque in vehementiorem motum erupturis,* allegans simul observationem resinæ haustæ ad salivæ accessum glutinis instar labris, palato, dentiumque intervallis penitus annexæ, ita ut partim digitis abradi, partim calentis jusculi diluvio propelli debuerit, indeque ingeniose concludit, uti in ore, ita & in ventriculo resinam ad frigus lentamque pituitam à spirituoso vehiculo desertam ibidem figi, magnasque molestias in scenam producere valere. Itaque optimo consilio ex recentissima Dispensatorii Argentinenfis editione tam Tinctura Jalappæ, quam Elixir citri purgans expuncta fuere. Confirmatur autem eorundem nociva virtus iterum observationibus maxima fide dignis. BOERHAAVE *in Tractatu de viribus Medicamentorum* Tincturam Jalappæ cum

Alcohole factam & in ore detentam, fauces exulcerare afferit. Ab Essentia Jalappæ, quippe remedio infecuro, abstinere jubet BUCHNER *Diss. cit.* §. 20. Elixir citri purgans distuadetur à CLAUDERO *Eph. N. C. Dec. II. A. VII. obs. 162.* STORK in *Praxi Stabliana* p. 1142. à granis X. refinæ Jalappæ in Essentia ligni Sassafras scrupulis duobus solutis adultum sexagesies purgatum fuisse memorat. Memorabilis est observatio, quam legere est in *Diss. BUCHNERI cit. Femina scilicet XLIX. circiter annorum, gracilioris & tenerioris corporis constitutionis, post iram, anxiiis circa præcordia & intestina excruciatum doloribus, qui cum pertinaciter insisterent, proprio tandem consilio ad refinæ Jalappæ essentiam, tanquam ad sacram anchoram, confugit, ejusque drachmam unam & dimidiam adsumit, & largam infusi Thee copiam superbibit. Non ita multo post adflicta horrendis intestinorum torminibus, difficilem simul & anxiam sentit respirationem, accedente sudore copioso & anxio frigido, donec tandem copiosissima dejectiones ἀνωραϊ νάτω subsequerentur. Lata hinc, assumpti remedii incomparabiles vires ac effectum eximie prædicat & commendat, & his non obstantibus, tamen dein per tres quatuorve dies immanes abdominis dolores continuant, ventriculus omnia ingesta rejicit, alvus denuo obstruitur & pertinaciter adstricta manet, agra incurvata multumque à doloribus debilitata incedit, torquet ipsam cardialgia, respiratio fit anhelosa, noctesque insonnes redduntur. Post adhibita à Medico quodam, in auxilium vocato, varia in hunc finem congrua remedia, quadantenus quidem à gravioribus illis symptomatibus liberata, cum sanitate tamen integre in gratiam nunquam redire potuit.*

§. XI.

Docemur itaque ex sinistris, quos refina Jalappæ, varia ratione licet correctæ, edere valet, effectibus §. IX & X. eandem tamen vix, ac ne vix quidem posse ita disponi, ut

secure possit corpori humano ingeri. Egregia in hunc finem iterum scribit GEOFFROY l. c. p. 85. his verbis: *Vim nocivam Jalappæ infringere autumant correctivis, modo salibus alcalinis, ut sale tartari, absynthii, &c. quibus resinosa pars solvitur & expanditur, modo acidis, ut cremore tartari, succo limonum, spiritu sulphuris & vitrioli, quibus coercetur & ferefigitur; modo oleosis, aromaticis, ut cinnamomo, caryophyllis, zingibere, maci, quibus nerveatum ventriculi, tum intestinorum fibræ vi purgantis medicamento debilitatæ restituantur. Verum prorsus inutile mihi videtur catharticum Medicamentum agrotanti propinare & ejus vim infringere; satius foret, illud non exhibere. Acida revera cathartici vim minuunt, optimeque temperant, sed idem fieri potest, purgantis dosim imminucendo. Olea aromatica pessima censeo cathartico- rum temperamenta, quæ sane in visceribus irritationem cathartico valentiorẽ suscitando, titillationem, quæ ab eo excitatur, inutilem irritamque reddunt, cum sæpe inflammationem accendant, & humorum evacuationem inhi- beant. Sales alcalini longe aptiores videntur ad resinosa cathartica contem- peranda, solvendo enim partes resinosas, impediunt, ne tenaces illa partes intestinorum membranæ pertinaciter adhæreant, ut sæpe accidit. Veruntamen ab his salibus cathartico- rum acrimonia non modo non temperatur, sed e contra intenditur. Quandoquidem igitur certo persuasus sum, Jalappam ad- ultis purgandi fine perperam adhiberi, surgit tamen altera quæstio, an scilicet ista infantibus æque non conveniat? Observamus enim sæpenumero, infantes, qui pulte vi- vunt, & pueros, quibus copiosa semper pituita & tenacior mucus in intestinis hæret, resinam præ adultis melius ferre, & interdum dosi resinæ vix moveri, qua adultus certo trucidari posset. Hunc effectum pituitæ, fibras intestino- rum ab irritatione resinæ præcaventi, adscribendum esse facile perspicimus, eundem quoque in helluonibus ventri indulgentibus ut plurimum observavit GEOFFROY M. M.*

p. 85. An vero idcirco Jalappa infantibus consulenda? Minime gentium. Primo enim à vero longissime abest, in singulorum infantum ventriculo aut intestinis desideratam mucii copiam adesse, qua vero absente, quam multæ noxæ inde metuuntur! Deinde non omni tempore in iisdem infantibus eadem quantitas pituitæ præsto esse solet, toties id observant Medici, lugent parentes, qui crebro innocue propinatam resinam semel ex insperato istam pessime nocivam deprehendunt. Tandem quoque maxime falluntur isti, qui tenellis infantibus præ adultis resinas exhiberi secure magis posse arbitrantur; tenera enim & ad spasmodicas strictiones valde proclivis infantum textura ab ejusmodi resinoso acri facillime lædi, & tormina, motus convulsivi, atrophia, aliaque hujus generis mala etiam graviora inde induci possunt. Quare etiam atro carbone Jalappina notavit HOFFMANN *M. R. S. Suppl. C. IV. §. VII. p. 41.* dum de torminibus infantum sic loquitur: *Maxime omnium insigni nocendi qualitate pollent resinosa, ut resina Jalappæ, quæ sane imprudentissime infantibus ex lacte corrupto & acri ægrotantibus propinatur. Et licet ipsa copiam humorum aliquoties ejiciat, continuo tamen stimulo & intestinorum irritatione spasmos facile adauget, & debilitatem relinquit.* Quicquid etiam in contrarium proponant Medici, insignem pituitæ in primis infantum viis copiam, vim resinæ irritantem præpedientis, allegantes. ALBERTI *Jurisprud. Med. T. VI. p. 462.* usum resinæ Jalappæ, ceu purgantis drastici etiam infantibus prohibet. Multo certe securiori via hi incedere mihi videntur, qui lenissima hic pro delicatulis istis feligunt, qualia sunt salia media in refractori dosi & quidem in jusculis data, millepedum succus, flores persicorum infusi, eorumque syrupus, Manna, Syrupus Cichor. cum Rhab. vel sequens, quod, quia infantum palatum minime id respuit, præprimis mihi aridet, quando nimirum folior. fennæ drachma infunditur

per noctem in aquæ font. frig. unciis tribus, atque colatura altero mane miscetur leni Decocto fabarum Cofée &c.

§. XII.

Reparatio infortunii ad mentem celebriorum Medicorum antispasmodicis atque relaxantibus fuit absoluta. Sic HOFFMANNUS *M. R. S. T. II. Pathol. gen. P. II. C. V. §. XVI.* ait: *Quemadmodum non certius & securius adversus omnis caustici veneni mortalem noxam præsidium & auxilium, quam in pinguibus, mucilaginosi & lacte est, si ingenti in copia hauriantur, ita etiam nihil inveniri potest, quod tam prompte & tam secure ex purgantium abusu lethiferis orientibus malis occurrat, quam lac vel oleum in copia datum.* Oleum amygdalarum dulcium torminibus jam factis demulcendis opportunum præsidium esse docet JOH. DE MURALTO *Eph. I. c.* Contra infaustos à resina excitatos effectus exhibuit CLAUDERUS *Eph. N. C. Dec. II. A. VII. obs. 62.* mucilaginosa ex femine Althææ ac Cydoniorum, è radice Althææ atque Symphyti. SENNERTUS *Prax. Med. L. III. p. 322.* lac cum radice Althææ coctum pro potu crebro & ano injiciendum commendat, nec non lac chalybeatum atque decoctum hordei largiter epota; quippe lac acrem stimulum involvit & simul jacturam liquidorum commode refarcit. SCHULZIUS in *Diss. cit. pinguia jacula eosdem in fines laudat.* RENTZ in *Diss. de Hypercatharsi Basil. 1692.* inquit: *Resinosi Jalappæ & Scammoneo, imò omnibus drastici, qua hypercatharsin excitarunt, feliciter exhibentur mucilaginosa, oleosa & his analoga, uti sunt, qua è semine althææ ac cydoniorum, è radice althææ atque Symphyti, ex amygdalis & seminibus frigidis parantur, non omissis confortantibus, lenientibus & anodynis, imò lacte ipso.* In hypercatharsi salutare lac calidum vaccinum vocant A. E. L. A. 1698. Apr. p. 195. & RIEDLIN *Lin. Med. A. III.*

Obs. obs. X. p. 692. FORESTUS *Obs. Med.* in schol. jubet primo sedare dolorem enemate ex oleis & aliis rebus anodynis parato, non tamen alviducis, simulque commendat lac coctum cum radice althææ, clystere injectum, tandem addit, ante injectionem clysteris præstare prius bibere aquam hordei ad abstersionem. Observatio nostræ fere analoga legitur apud SCHULZIIUM *Diff. cit.* §. X. sequentibus verbis: *Vir quidam doctus, jam senex, auditus difficultate, in dies magis augefcente laborabat. In consilium vocabat Medicum excellentissimum, eundemque sibi amicissimum. Suadebat is purgantem Medicinam per satis multorum dierum intervallum itentidem capiendam. Præscribebat igitur pilulas quinque purgationibus peragendis sufficientes, atque ut hac lege adhiberentur, præcipiebat. At vero ille immemor præcepti, aliisque negotiis acrius forte intentus, totam illam quantitatem simul deglutiebat. Quum mature intelligeretur error, Medicus mox accessit jubebat copiose hauriendum jus pingue, non salitum. Non solum nil grave eveniebat, sed ne talis quidem purgatio, quæ mediocritatem excederet &c. Duplex autem speratur ex mucilaginosorum usu effectus, quem & vere obtinuerunt Medici supra memorati, etenim ista ex una parte virosum istud acre resinæ irritans obtundere, ex altera autem parietes intestinales inungere erosionemque præpedire, simulque relaxando eas irritabilitatis virtutem innatam infringere poterant. Denique quum hæc remedia ita egregie curationi periculosissimi affectus satisfecerint, reliquorum ab Autoribus in hypercatharsi commendatorum remediorum, Venæsectionis, præcipue & opiatorum, certa sub lege ab Jll. TRALLES Sect. III. p. 219. apprime commendatorum usui optime superfedere licuit.*

TANTUM.

VD 18


ULB Halle

3

008 342 954







B.I.G.

Farbkarte #13

Q. D. B. V.
 CERTATIO INAUGURALIS MEDICA
 SISTENS
 OBSERVATIONEM 14
 DE 102
 PERCATHARSI
 RESINA JALAPPÆ
 ELICITER CURATA
 QUAM
 VINO NUMINE ASSISTENTE
 EX CONSENSU
 SSIMI MEDICORUM ORDINIS
 RO LICENTIA
 OS IN ARTE MEDICA HONORES
 TQUE PRIVILEGIA DOCTORALIA
 RITE CONSEQUENDI
 XXV. SEPTEMBRIS A. MDCCLXXI.
 SOLEMNITER DEFENDET
 BERNHARDUS ULRICH
 ARGENTINENSIS.
 H. L. Q. C.

ARGENTORATI
 ina JOH. HENR. HEITZII, Univerſit. Typogr.

